

DISPUTATIO IX.

Centuriae tertiae

QVÆSTIONVM.
ILLVSTRIVM
PHILOSOPHI-
CARVM

In Inclytâ VVittebergensi Academia
Proposita:

PRAESIDE

M. IACOBO MARTINI
LOGICES PROFESS.
Publ.

RESPONDENTE

PETRO POPPIO ESENA-
Frisio Orientali.

Ad 14. Novembr. hor. à 7. matutinis in Auditorio Col-
legii veteris.

VVITTEBERGAE

Excudebat Iohann. Schmidt, Sumptibus
Pauli Hellvvgii Bibliop. Anno 1607.

Magnifico, Excellentissimo, consultissimoq̄
VIRO

Dn. THOMÆ FRANTZIO I. V. D.
& Frisix Orientalis Cancellario dignissi-
mo meritissimoq̄; Domino & Mœ-
cenati suo magno.

VIRIS, item
Amplissimis, Prudentissimis

Dn. VITO VVINSHEIMIO EIVS-
dem Frisix ærarii Præfecto generali
Dn. LEDEBERTO PRVNSKEN
Inclyto ac Generosissimo Comiti, Domi-
no Ennoni Comiti Frisix Orientalis
&c. Domino suo clementissimo
à secretis.

Nec non VIRO

Reverendo, ac Mathematico insigni

Dn. DAVIDI FABRICIO, PASTO-
ri apud Ostelanos vigilantissimo

Mæcenatibus Patronis ac Promotoribus suis
aternum colendis

*Hæc Theoremata qualiaqualia in observantia, gra-
titudinis, honoris & amoris tesseram sub-
missè offero*

*Petrus Poppus Esena-Fri-
sius Orientalis.*



QVÆSTIO I.

Philosophus quando contra veritatem & rectam rationem serio disputari, vel statui animadvertit, an veritatem philosophicam vel occultare vel dissimulare bona conscientia possit?



*S*icut oculis cerni posset veritas, quemadmodum a-
nimo concipi potest, mirabilis sui excitaret motus, in-
quit divinus ille Prometheus Plato. Nullus enim
suavior animo cibus est quam cognitio veritatis.
Lact. lib. 1. cap. 1.

Verum † cum curvis oculorum non ita expo- 2.
sita, ac in aprico sit, sed obvoluta in obsuris veritas lateat, in profun-
dumque sit demersa, unde non facile, absq; labore magno, industria
majori erui possit, amaritudine etiam quadam permista nec voluptate
aliqua condita videatur: hinc curvis ad eius cognitionem pervenire
non contingit, imprimis illis, qui ingenium, quo neq; melius, neq; am-
plius in natura mortalium est, incultu, ac socordia torpescere sinunt;
quique pecorum in morem, servitio corporis, quam animi magis utun-
tur. Hi ergo veritati, ipsis invisæ, falsitatis, mendacio verò veritatis
nomen imponunt: ac in eo per versorum illorum hominum per versa in-
genia, calliditas, solertia, fletaq; insidia omnes conspirant, faciunt,
fingunt, remis velisq; (quod aiunt) omni animi impetu contendunt, ut
veritatem suo nitore ac splendore privent, de stationeque deturbent.

Hinc † illis, qui veritatem constanter profitentur, eiusq; patrocini- 3.
um in sese suscipiunt, nunquam vel defuere, vel desunt, vel deerunt emu-
li: sed quo cum certet strenuus veritatis patronus semper habebit.

Et si † veritas per se satis splendet, ac nullius proinde, in defen- 4.
sionem sui presidio opus ferme habet. Cum uti ignis quo pluribus li-
gnis obruitur, eo magis incenditur: sic quoq; quo magis oppugnatur,
eo magis emicat, atq; illustratur: tamen cum nonnunquam tam aperti,
quam



quam clancularii veritatis ofores veritati bellum indicere, et igno-
rantia sua deliramenta fundere, veritatemq; penitus excindere con-
5. tantur. Querere libet: liceat ne philosopho salva conscientia verita-
tem philosophicam vel occultare, vel dissimulare?

6. Ad quod questum (licet pariat odium veritas, sit amicus Plato,
sit amicus Socrates tamen magis fuerit amica veritas) quod dicendum si-
et dicemus: nihil minus competere homini philosopho, quam pro veri-
tate (ad cuius unius inquirenda studium, relicta ac contemptis omnibus
rebus, & publicis, & privatis actionibus, animum abdicavit) jam in-
venta, tanquam proaris & foci, non pugnare.

7. Nam quod omnem plane operam, omnem laborem perdidisse, ac in-
cassum omnino laborasse ille, ac parum inde commodi ac emolumenti hau-
sisse, minus quoque honoris ipsi deberetur: cum non minor est virtus quam
querere parta tueri.

8. Hoc etiam occultationis & dissimulationis artificium profecto
non veris sed falsis doctoribus & sophistis esset proprium, ac non modo
saniori philosophia, sed etiam sacrarum literarum oraculis contrarium.
Lege enim divina, quam severissime, a se verissimo ac iustissimo legum
latore Deo prohibemur, ne omnino mendacium loquamur: Mendaci-
um fugies inquit, Exodi 23. Quo mandato licet nominatim illud
mendacium notetur quod in iudicio forensi, cum a falsis testibus, tum
ab iniquo iudice committitur: tamen in genere omnis mendacii detestas-
tionem indigere, testes sunt salvator, ac D. Paulus, eandem legem
recitantes, *ὁ ψευδομαρτυρῆσθαι*. Matth. 19. v. 18. Rom. 13. v. 9. Quo
ipso ex entithesti studium ac amorem veritatis imo totius oblati precepti
scopum, conservationem veritatis inter homines precipiunt. Rungius
in Expl. decal. precept. 8. Quo nomine sub hoc precepto comprehen-
duntur, hypocrisis, simulatio, fraudes, occultatio omnisque in rebus furas.
Hinc luce meridiana clarius elucet, contra proprium conscientie testi-
monium & expressum legis divinae mandatum facere illos qui veritatem
ambiguis locutionibus involvunt, dissimulant, occultant, atque in tem-
pore reticent.

9. Ille etiam dicitur Aristoteli verax, qui & vita & oratio-
ne, verax est, quae apud se habet neque maiora neque minora profitetur, atque
se mediocritatem, quae est inter *ἀλαζονείαν* arrogantiam & *ἰσχυροειδίαν*
dissimulationem, observat. lib. 4. Eth. cap. 13. contra qui in alterutram
partem

partem impingit, ut vel magis vel minus, de rebus quam sua natura sunt pronuntiat, aut affirmat, vel arrogantiam vel dissimulationem incurrit, & sic detestandi mendacii maculam, quae vinum bonum fade ac turpiter debonestat, sibi aspergit, per se enim mendacium improbum est ac vituperatione dignum. Atque ita qui non dicit uti res est mendax est: imo non tantum iste: verum etiam qui quando veritas dicenda est, eam non dicit, sed in eius detrimentum retinet & occultat. Vere enim Aug. qui veritatem occultat & prodit mendacium, uterque reus est, ille quia prodesse non vult, iste quia nocere desiderat. I. de Agone Christi. lingua enim quae est orationis plectrum, cum officio suo fungatur, quando tanquam interpres verus, illa quae sunt in animo interpretatur candida.

Obiiciunt tamen hic distinguendas esse res serias à philosophicis in 10. illi nempe quae in facultatibus superioribus (uti loquuntur) veritatem simpliciter tenendam & defendendam esse: in his vero perinde esse aliquid vel affirmare, vel negare, vel verum defendere vel illud occultare, & falsam opinionem amplecti. Egregia obiectio? Quasi vero philosophia res leues, ludicras & nullius ponderis vel precii continent sciant hi osiores praestantissimi huius domus Dei (nempe quo praestantissimus nullum, post verbum revelatum) veritatem philosophicam esse ipsius Dei veritatem. Quandoquidem haec non digitis hominum, sed digito ipsius conditoris Dei ter optimi maximi per creationem in ipsam naturam & rectam rationem inscripta & impressa est. Philosophiam enim cum Clemente Alexandrino l. r. Stromat. non dicimus stoicam, nec Platoniam, Epicuream & Aristotelicam, sed quaecumque ab his satis recte dicta sunt, quae docent iustitiam, cum pia scientia. Recta itaque ratio, & liber naturae ab ipso Deo conscriptus, est norma & regula omnium opinionum & sententiarum, quae unquam à philosophis vel dictae vel scriptae sunt. Et Deus ipse in theatrum huius universi introduxit nos, non ut otiosos spectatores, sed ut causas, quibus res divinae & humanae, continentur accurate scrutaremur, veritatem inquireremus, & ipsum ex operibus agnosceremus: cum finis principalis creationis omnium sit agnitio DEI, cum artificis ex operibus. Sap. 13. Syrac. 17. Rom. 1. Sunt ne haec res leues? levis est, qui ita iudicat & stultus simul, qui perinde esse statuit, veritatem vel falsitatem in philosophia tueri, vel etiam ubi veritas impugnatur vel eam occultare concessum esse stultus inquam qui ita statuit & gravissime in ipsum Deum huius veritatis autorem peccat. Veri-

ratis studiosus est philosophus, veritatem itaq. dicat, defendat, falsitati contradicat, eam impugnat expugnat. Omnino enim verum esse censeo, quod Rever. Theolog Gesnerus p. m. nobis philosophia saepe inculcare solebat. Quemadmodum nobis Theologis Theologicam veritatem: ita vobis philosophis incumbit veritatem philosophicam tueri profiteri, & contra sophistas fortiter ac constantiter defendere, cum utraque non nostra sed Dei veritas sit.

QVÆSTIO II

An S. sanctæ Trinitatis mysterium ex natura demonstrari queat?

1. Magnum † quorundam hominum ingenii acumen, magnum etiam rationis lumen, magna inde orta audacia, ut quævis ferme attemptare haud erubescant, aut reformident: imo cælum ipsum expugnare & summum Iovem throno suo deturbare, sedemq. ipsius, ingenii sui vi freti, mox aggrediantur. Quorum vel inprimis longum contexit catalogum Philippus Mornæus lib. de verit. religionis Christianæ. Quos eo usque, ingenii sui indagine, pervenisse, non obscure innuit, ut etiam ineffabile illud ac imperscrutabile Trinitatis mysterium indagarent.

2. Verum enim vero † licet non in viti fateamur, ingenium humanum plurimis ac mirandis adhuc pollere viribus; veruntamen limitibus suis circumscriptum est certissimis, ex quibus egredi nullo modo ac ratione vel potest vel debet. Eo usq. nimirum sese extendit, quo usq. sese terrena extendunt: ad mysteria autem divina per se & ex sese non elevat. Qui n. spiritualia hac rationis lance ac trutina ponderat, perinde facit ac ille, qui oculis corporeis, radios solares excipere cupit, ipso lumine etiã, quo videt, & ratione, quâ inquirat, privabitur. Animalis enim homo non accipit ea, quæ sunt spiritus Dei, stultitia siquidem illi sunt nec potest cognoscere, quod spiritualiter dijudicatur, 1. Cor. 2. Non quod sufficientes simus, cogitare aliquid à nobis, tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, 2. Cor. 3. v. 4.

3. Meridiana † itaque luce clarius ac vero verius constat, illius duntaxat ductu in notitiam hujus ardui mysterii pervenire nos posse, qui sacre scripturæ clavem habet, qua mysterium illud nobis

his aperit ac pandit, & velamen, quod cordi est oppositum, aufert. Hinc mysterium, hoc adorandum potius quam scrutandum, ignoravit Plato, nescivit Aristoteles, imo nullius tantum est ingenii acumen, nullius tantum rationis lumen, ut illud, vel leviter saltem aspicere potuerit.

Quod tamen attinet illos, quos Morneus citato loco allegat: 4. dicit quidem Zoroastes: Pater perfecit omnia & tradidit secundæ menti, quæ uni versus genus humanum, tanquam primum colit. Et Mercurius Trismegistus ait: Deus, qui intellectus est & vita & lumen λόγος seu verbum peperit, qui quidem intellectus, alter est omnium opifex, unaque cum illo & alium, qui Deus igneus est & divinitas Spiritus est.

Verum enim vero si quid hi vel alii vel dixerint 5. vel statuerint, aut semetipsos non intellexerunt, aut si quid veri tenuerunt, non ex natura lumine hauserunt, sed à majoribus suis, veris nempe Dei, cultoribus, acceperunt. Quia ævo Patriarcharum & Prophetarum fuerunt viciniores, veriores quoque de Deo sententias habere potuerunt.

QVÆSTIO III.

An in Enunciationis copula (EST) (aliàs vocant EST tertii adjacentis) tropus esse possit?

1. Digna tamen, mehercule questio, in qua penitus enodanda nervos intendamus. Non enim ex harum numero est ac censu, quarum minutularum ac frivolarum, magna & uberrima undique seges est: videlicet, quando quaeritur, quem numerum remigum Ulysses habuit: Prior scriptane sit Ilias an Odyssea: an ejusdem sint authoris, Et id genus alia, quæ si ve contineas, si ve ignores, nihil tacitam conscientiam juvant: si ve proferas non doctior videberis sed molestior, Seneca lib. de brevitate vite cap. 13. Sed talis est, ut de illa, vel cum Socrate disputare, vel cum Carneade dubitare, haud perinde fiet.

Nam tamen sub unica hac herbula (interclusis jam rimulis cæteris, 2. quibus hætenus sese abscondere quaerit) lubricus ille ac callidus
Zvvin-

Zwinglicus anguis calide hodie latere querit. Tropo enim in verbis
cœna copulam (est) modificatam esse contendit, neq; copulæ sive nexûs,
sed significandi vim obtinere, ut sensus verborû hic fiet: Panis significat
corpus meum. Sed quam vere id dicitur, & quam tuto sub hac herbu-
la lateat, experiemur, cum ad oculum ipsi tropum in copula esse non pos-
se, demonstra verimus.

3. Et † quidem hoc pacto. Omnis tropus aut est in subiecto aut præ-
dicato tamquam partibus propositionis veris & essentialibus: in to-
ta enim & integra propositione esse non potest: Pugnat enim hoc eum
definitione tropi, qui definitur immutatio vocabuli à propria & na-
tivâ significatione in aliam. Iam vero copula (est) vere & essen-
tialis enumerationis pars non est: quippe, quæ aliquando actu
non ponitur, sed potentia prædicato includitur, inde ipsum forma-
le seu coniunctio ipsa partium tantum est vocanda. Quando vero
actu prædicationi inseritur, non partem ejus constituit, sed ad præ-
dicatum refertur, cuius non tam pars, quam conditio & affectio est
censenda. Siquidem in prædicato tria sunt observanda propria. 1. Si-
gnificare rem 2. adsignificare tempus & 3. copulare. Quod manife-
stum est quando enunciationem constantem verbo adjectivo resolvi-
mus in trinarium, uti loquuntur, constantem prædicato & copula est.
V. G. quando, hanc enunciationem, Homo currit, resolvimus in illam.
Homo est currens. Ut enim in priorè propositione copula erat in verbo
4. currit, ita etiam in posteriore hac pertinet ad prædicatum currens.

Clarissime † quoq; nostram sententiam confirmat, quod in con-
versionibus propositionum, & reductionibus Syllogismorum, Est, per
se non mutatur, nihilque significat. Ergo inter terminos, seu partes pro-
5. positionis non numeranda.

Tandem † quod nihil rei in enunciatione significat, non potest
esse sedes tropi, propter definitionem tropi modi positam. At copula
est in enunciatione nihil rei significat, sed tantum copulat, ut in posito
exemplo. Homo currit, si ve est currens, res quæ de homine prædicatur,
tantum est in voce currens: copula vero (est) rem illam, currens si ve
actionem istam cum homine enunciando connectit, & tempus adsigni-
ficat. Et per consequens satis superque evincitur, quam tutum latibu-

lum, seu asylum, hic habeant ad quod tanquam ad anchoram sa-
gram (extrema quæque cum tentarint,) confu-
giunt Calviniani.

QVAE

QVÆSTIO IV.

An Creatio naturæ lumine quodammodo
videri possit : & an eam viderit Aristoteles ?

Quæstum † duabus constat partibus. Ad priorem itaq; ut af-
firmate respondeamus, movent nos, tum divinarum literarum oracula,
tum orthodoxorū patrum magnus consensus, tum rationes, ex media phi-
losophiā petita firmissimæ. Sacrarum literarum testimonia extant tum
alibi, tum maxime Rom. 1. ubi Gentium ille Doctor Paulus, sic inquit:
in visibilia Dei à Creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta con-
spiciuntur. Cui suffragatur & calculum addit illud sapient. 13. A ma-
gnitudine speciei & creaturæ poterat Creator cognoscibiliter videri.
Quibus & sexcentis aliis contradicere velle, nefas & putamus.

Rationes † quoq; haut desunt, quæ idem affirmant, verissimæ. 1. 2.
Quicumq; non potest agere seu opus aliquod producere, nisi habeat cer-
tam aliquam subiectam, & substratam materiam ex qua, quod struere
& fabricare velit, fabricet, is sane non libere agit, sed materiei alligatus
& astrictus esse videtur: Deus ergo si mundū absq; præexistente materia
producere non potuit, videbitur profecto materiei astrictus esse. Ast hoc
falsissimum. Est enim agens liberrimum. Et ecce tibi : si materia est alli-
gatus, quis quæso eum alligavit ? Neq; ipse seipsum ; quod patet : neque
alius quispiam : quippe qui non datur cum Deo nihil sit prius, nihil
posterius : neq; ipsa materia, tum quia materia non agit, sed potius pati-
tur : tum quia & ipsa Deo est posterior. videatur Pererius libr. 5.
cap. 7. 2. Si igitur non creavit mundum, sequeretur inde, esse aliquid,
quod esse suum Deo non referret acceptum : iam v. nihil est, quod
non à divina virtute dependet, cum ille sit primum ens, prima causa, à
qua cætera dependent omnia. Ergo mundus ex eorum numero non est
eximendus. 3. Quicquid creaturarum est à se esse non potest. Nemo
enim sui ipsius causa & author existit : sed ab alio sit necesse est : Ergo
nec mundus : 4. Si Deus non pauciora ad agendum requirit requisita
quam natura & ars, hisce agens præstantius non est. Nam qualis ope-
ratio, talis etiam essentia, & quarum rerum eadem sunt operationes, ea-
rundem quoque sunt eadem essentia & dignitates. At dicere vel statu-
ere Deum non esse præstantiorem arte, absurdum & blasphemum est.

B

Ergo

Ergo cum Deus sit causa nobilior & excellentior paucioribus etiam ad operandum opus habet adminiculis, quam natura & ars. Quocirca cum ars supponat rem compositam; natura materiam; Deus neutrum horum præexigit: atq; adeo potest res ex nihilo producere. Videantur Conimb. lib. 8. phys. cap. 2. q. 2. pag. 372. & Perer. 19. lib. 5. phys. c. 7. patres quosdam pedibus in nostram sententiam ire patebit ubi unum cum saltem Augustini dictum brevitatis gratia adducemus, quod sic habet: Exceptis prophetis & vocibus, mundus ipse ordinatissima sua mutabilitate, & mobilitate & visibiliū omnium pulcherrima specie, quodammodo tacitus, & factum sic esse, & non nisi à Deo fieri potuisse proclamat. 1. 11. de civitate Dei cap. 4.

3. Nunc restat ut alterum quasi membrum dispiciamus, nempe utrum Aristoteles creationem viderit, nec ne. Variant hic philosophi: alii enim in negativam, alii in affirmativam abeunt sententiam. Nonnulli enim ad avim usq; vociferantur, nihil esse à peripatetica doctrina magis alienum & abhorrens, quam existimare, potuisse quicquam à Deo ex nihilo fabricari. Atq; hanc fuisse Aristotelis mentem, quam plurimi arbitrati sunt, quos legere licet, apud Conimb. lib. 8. phys. cap. 2. q. 11. pag. 374. Quorum sententiam cum multis argumentis propugnaverat Pererius lib. 5. phys. cap. 7. tandem in hæc verba erumpit: Quid plura? Nihil (ut nostra fert sententia) reperiri aut fingi potest, quod sit magis contrarium doctrinæ Aristotelis & quod omnes ejus artus & nervos vehementius elidat. Contrariū suadent illustra ac perspicua ipsius Aristotelis dicta quæ cum passim, tum 2. Rhet. cap. 23. leguntur: ubi Demones esse opus Dei manifeste affirmat. Et in 2. Metaph. cap. 1. text. 4. docet primam causam esse cæteris causam, ut sint. Quem locum explicans Thomas, asseruit Aristotelem, Deum non solum motus, sed ipsarum etiam rerum quæ motu sciuntur causam fuisse. Vide plura apud Conimb. citato loco.

QVÆSTIO V.

An philosophorum rationes, pro mundi æternitate possint solvi?

1. Puto, quod possint, in una atq; altera faciemus periculum. Omnes enim adferre & solvere nimis longum foret. Prima itaque esto: motus

motus est aeternus. Ergo & mundus. Negamus nos antecedens. Probat
philos. lib. 8. phys. text. 4. Subiectum, quod est mobile, prius est motu.
Ergo si motus aliquando capit, quam suo subiecto posteriorem dicimus,
tum illud mobile, aut fuit sempiternum, aut aliquando generatum. Si
sempiternum, non fuit sine motu. Si autem generatum, datur motus
prior primo subiecto: cum nulla esse possit generatio sine motu, sed quis
non videt adferre philosophum insufficientem partium enumerationem:
Sic enim colligere debebat. Mobile illud, aut est sempiternum, aut
aliquando productum. Si aliquando productum, aut productum fuit
à Deo per creationem, aut à natura per generationem. Hoc falsum est,
propter rationem Aristotelis: Illud vero verum est, quia absurdum
illud, quod demonstrare vult philosophus, non sequitur, quandoquidem
Creatio sine motu est, adeoque prior esse potuit subiecto mobili.

Secundum argumentum sit. Tempus est aeternum. Ergo mun- 20
dus est aeternus. Negamus nos antecedens probat id philosophus, quia
non datur primum. NVNC ante quod non fuerit tempus. Implicatur
enim contradictio. Nam illud ANTE tempus significat & arguit. Du-
plici hic modo respondere possumus. 1. Secundum conceptum nostrum
imaginarium. Si enim modo concipiendi nostro loquamur, conceden-
dum est, dari primum NVNC & punctum temporis, ante quod non fu-
erit tempus, ita nimirum, ut illud ANTE non significet tempus prius
reale, sed tantum imaginarium: non aliter atque Aristoteles, quando
lib. 1. de caelo disputat. Extra caelum nihil est. Illud EXTRA, non de-
signat locum. Quemadmodum igitur non licet argumentari Extra cae-
lum nihil est: illud EXTRA significat locum: Ergo extra caelum est lo-
cus. Et per consequens aliquid. Est enim contradictio extra caelum esse
nihil, & extra caelum esse aliquid. Si igitur extra caelum nihil est, ali-
quid ibi esse nequit. Ita etiam absurde infertur. Ante tempus, non fuit
tempus. Ergo ante tempus fuit tempus: quia illud ANTE, significat
tempus. Implicatur enim contradictio. Ut igitur per illud EXTRA in-
telligitur locus imaginarius: ita per hoc ANTE significatur tempus ima-
ginarium, & minime reale, ut iam dictam est. 2. Secundum rem si re-
spondendum sit statuendum & concedendum omnino est, ante initium
temporis, non fuisse tempus, sed infinitam aeternitatem, cui tempus non
semper coexistit: Atque tunc illud ANTE significat aeternitatem, quae
antequam ullum tempus fuit, in Deo praexistit. vid. Suarez. disp
Metaph. 29. sect. 1.

B 2

3. Argu-

3. *Tertium Argumentum* + sit. Quodcunque est ingenerabile & incorruptibile, illud est aeternum: Caelum est ingenerabile & incorruptibile, lib. 1. de Caelo text. 10. E. Caelum est aeternum: Et per consequens mundus aeternus est. Resp. ad majorem, qui de generatione & corruptione physica, proprie ita dicta, est intelligenda, atque propterea falsam. Nam licet quidem physice neque generatur, neque corrumpitur caelum: virtute tamen divina creari & annihilari potest: adeoque aeternum non est.

4. *Quartum argumentum* + sit (ex 12. Metaph. 4. r. 30.) Quicunque non semper operatur, sed aliquando agit, aliquando ab actione abstinet, ille non est purus actus; Est enim aliquando opifex potentia aliquando actu, Atqui Deus est actus purus, expers omnis omnino potentia: Ergo Deus non aliquando operatur, & aliquando ab actione abstinet, neque aliquando opifex est, aliquando non: Ergo mundum si condidit, eum ab aeterno condidit. Respondemus distinguendo inter actionem nostram & actionem Dei. Major vera est de actionibus nostris & agentibus finitis. Hoc enim primum volunt producere, atque tum sunt in potentia: Deinde manum ad opus applicant, & fiunt agentia actu. Longe aliter res se habet in Deo, qui simplicissime per intellectum & voluntatem agit, quae vult, ut scriptura loquitur: Omnia quae voluit fecit: Atque vult ut res in tempore & non ab aeterno essent & existerent: Ergo etiam per illud velle existunt res non ab aeterno sed in tempore. Ut ita in Deo sit nulla facta mutatio, sed in creaturis facta, ut quae antea nullo modo erant, jam sunt actu. Hic quiescimus: de caeteris idem esto iudicium.

QVÆSTIO VI.

De Dracone volante quid sentiendum?

1. *Dracon* + volans est exhalatio magna & inequalis, inter nubes duas, alteram calidam & alteram frigidam incensa, cujus pars media incurvata ad nubis calidum tractum, & crassior ventris formam, duas autem extrema capitis caudaeque figuram referunt. Scintillas deinde ac fumos propter alteram nubem frigidam.

2. Solet + enim calidum & ardens oppositum frigido excitare fumum, ut in viridi ligno ardente patet. Vel cur. lib. 4. Phys. cap. 4. Incumbere

bere etiam solet, quasi tectis & culminibus adium, imminere etiam fenestris & infumibulis siue caminis. Cujus rei causa in Physicis, & quidem in specie in doctrina meteorologica dantur naturales: ita ut in sese & absolute consideratus hic Draco sit merum naturæ opus & effectum. Germani nostri vocant den Wyff. Quod vetustissimum vocabulum in germanica lingua est, derivatum (uti videtur) ab Hebræo Aleph, quod principem significat. Quæ denominatio inde absque dubio originem traxit, quod huic naturæ operi sese admisceat Diabolus, Draco ille antiquus, uti appellatur, Apocal. 12. & 13. illudque Deum permissu rogat, & quo vult, ducat ad suorum conjuratorum prestigia & perniciem.

Vix enim ullum datur corpus naturale, in quo magis domineatur, quam est aer. Unde etiam ab Apostolo, Eph. 2. princeps dicitur, penes quem est potestas aeris. Præcipue vero hujus Meteoræ figura utitur & gaudet Cacodæmon, quando à suis adjuratis obligatur ad deportanda frumenta, caseos, butyrum, pecuniam quoque & thesauros. Vbi tamen sæpius miris modis suos fallit, ficta pro veris, atque ita carbonem pro auro, lutum pro gemmis advehens, atque ita mani specie ludens.

Interdum & etiam non decipit, sed verum aurum, argentum, & pecuniam, gemmas secum affert, quas vel justo Dei judicio ex aliorum thesauris suffuratur, vel etiam è terra, in qua maxime opes & thesauri defesti sunt, extrahit, vel demique è profundo mari, in quod sine omni dubio, immensa auri argenti que vis naufragiis submersa est, eruit.

Pro & quo officio & beneficio cultum quendam sibi poscit. Quem admodum igitur olim Ethnici suo litabant Mercurio, ita & hic Mercurius, ut sibi apposito lacte, aliis ceremoniis, rite litetur, severe postulat.

Si enim hic defectum sentit, vel levissimum: non tantum illum agere fert, sed gravissime in delinquentes suos juratos animadvertit: verberibus illos male tractat: vel etiam natura isto opere, balium nimirum ardente ad incendendas istorum ades, abutitur.

QVÆSTIO VII.

An Gigantes & Pygmæi plerique sint stupidiores, aut stolidiores?

B 3

Gigan-

Gigantes & Pygmaeos plerosque aut Stupidiores aut stolidiores esse, testatur experientia. Causa hujus manifesta est. Nobilissima enim forma humana, in eiusmodi corporibus conveniens materia proportio, ad operandum, tributa non est. Hæc autem necessario requiritur: Ut causa principaliter agens per instrumentum nihil producat, nisi sit inter hoc & illud justa proportio & harmonia: ita etiam forma per materiam efficax non est, neque ritè suo fungitur officio, nisi hæc sit conveniens justamq; suam habeat ad formam proportionem.

QVÆSTIO VIII.

Quid de signis extremi iudicii, quæ ventura prædicat Christus, Matth. 24. Marc. 13. Luc. 12. sit statuendum.

1. Hoc † fere providentiæ divinæ munus est, ut insignes rerum humanarum strages formidulos ante signis, aut Prophetarum vocibus prænunciat. Sic enim priusquam Antiochus Rex horrendam illam cladem Iudæis intulisset, qua octoginta hominum millia Hierosolymis trucidavit, totidemque captivos abduxit, & sacratissimum templum sacrilego furore temerare & spoliare ausus est; quadraginta dierum spatio armati exercitus in ære dimicantes, aliaque horrenda signa visa sunt. Similia quoque periculorum imminentium tex. μίγξα. Iosephus de bello Iudaico ante postremam urbis vastationem præcessisse memorat, D. Gregorius simile quiddam in Italia contigisse narrat. Priusquam enim (inquit) Italia gentili gladio ferienda traderetur, & neas in cælo vidimus acies, ipsum, qui postea effusus est, humanum sanguinem portendentes. Quocirca si hoc divinæ providentiæ familiare est, consequens profecto erat ut ante totius orbis excidiū horrenda signa præcederent, quæ cæteris omnib. tanto essent formidabiliora, quanto graviora mala protenderent. Aliud namq; est, unum orbis angulum, aliud totius universi machinam concidere. Ideoq; illic privata quædam iudicia, hic verò in tota rerum universitate tremenda ostenta præcurrent: quæ Salvator noster Christus Matth. 24. his verbis commemorat: Erunt signa in Sole & Luna, & stellis, & in terris anxietas gentium per desperationem, resonanti mari & fluctu, extrahescen-

bescentibus hominibus præ timore & expectatione eorum, quæ
supervenerint orbi terrarum, Nam virtutes cœlorum movebuntur.
*Hoc est in rebus omnibus, & superis & inferis, cœlestibus ac terrestribus
signa erunt admiranda & horrida portenta. Immutatis enim cœlorum
virtutibus, consequens est, ut omnia deinceps, quæ sub cœlo sunt, & à
cœli virtute pendent, immutentur.*

*Qualis & autem virtutum cœlestium futura sit mutatio, uberius 2.
explicatur Matthæi 24. v. 29 his verbis: Sol obscurabitur, & lu-
na non dabit lucem suam, & stellæ cadent de cœlo.*

*Quæritur & itaque non frustra, quomodo verba hæc sint intelli- 3.
genda, an allegorice, an de supernaturali aliquo & stupendo prodigio;
an vero de naturalibus Eclipsibus & de illis stellis cadentibus, de qui-
bus in doctrina Meteorologica disputatur, sint accipienda.*

*Patres & nonnulli allegoricum hic sensum quærunt & probant. 4.
Sic enim Hieronym. lib. 4. in Matth. & quidem super cap. 24. Sol
inquit & Luna obscurabuntur & non dabunt lumen suum, & cæ-
tera alia cadent de cœlo: virtutesque cœlorum commovebun-
tur, non diminutione luminis. Alioquin legimus (Esa 30.) solem
septuplum habiturum luminis: sed ad comparisonem veræ lu-
cis omnia visui tenebrosa sint. Si itaque iste Sol, qui nunc per
totum orbem rutilat, & luna, quæ secundum est luminare, &
stellæ, quæ ad solatium noctis accensæ sunt: omnesque virtu-
tes, quas angelorum multitudines intelligimus, in adventu Chri-
sti in tenebras reputabuntur: decutietur supercilium eorum, qui
se sanctos arbitantes præsentiam judicis non formident.*

*Item & Augustinus allegoricè hæc interpretatur, Tom. 4. 5.
Quæst. ex utroque Test. mixt. cap. 105. ubi per Solem & Lunam
sanctos intelligit: etiamsi in initio ejusdem capituli τὸ πρῶτον urgere vi-
deatur.*

*Theophylactus & etiam super 24. cap. Matth. Sol, inquit, obte- 6.
nebrabitur, hoc est, obscurabitur, non disprens, sed supera-
tus lumine adventus Christi, quum non erit nox, sed apparebit
Sol justitiæ. Quin & virtutes cœlorum commovebuntur, hoc est,
obstupescant & horrescant, videntes creaturam immutari, &
omnes ab Adam usque ad illud tempus homines rationem da-
turos. Idem pene repetit sup 13. Cap. Marci. Omnis creatura im-
mutabitur, quando stellæ obtenebrabuntur propter immanem
lucem*

lucem Christi: Commovebuntur autem & angelicæ virtutes, hoc est, obstupescunt, videntes tantam rerum mutationem fieri, & conservos suos iudicari.

7. Ex recentioribus † quidam de vulgaribus Eclipsibus & signis verba Christi interpretantur: & quidem propterea, quod hisce nostris temporibus Eclipses potissimum crebriores fiant, quam factæ sint seculis priscis. Sic enim Simon Pauli in explicatione Evangel. dom. 2. adv. loc. 1. Signa in sole, inquit, principio intelligi potest de Eclipsibus, quæ jam crebriores fiunt, quam ante aliquot secula factæ sunt.

8. Verum † hæc sententia vera non videtur: reclamant enim omnes observationes & prædictiones Astronomicæ.

9. Nonnulli † signa hæc interpretantur de naturalibus quidem Eclipsibus & portentis, sed quatenus significant aliquid supernaturale & extraordinarium. In hac sententia videtur esse Dn. Luth. sup. Eva. 2. adv. David Thoner. ibid. etiam ipsa Simon. Paul. loc. all.

10. Habent † etiam recentiores suam allegoricam interpretationem. Sol, inquiunt, Christum significat, Luna Ecclesiam, stellæ cadentes, doctores in Ecclesia. Sol niger fit, hoc est, doctrina de Christo, qui est Sol iustitiæ, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, in maxima parte mundi obscuratur & errorum caligine tegitur. Luna fit, ut sanguis, hoc est, Ecclesia, quæ à Sole iustitiæ Christo lucem veræ doctrinæ accipit, sicut luna à sole lumen suum mutuatur, corruptelarum & hæresium confusionibus horribiliter deformatur, & quasi ferrugine obducitur, dum lux veræ doctrinæ, à Christo tradita, deliquium patitur, sicut luna, cum tempore eclipsis in umbram terræ sese involvit, & luce solis destituitur, atrii sanguinis colorem refert. Stellæ de cælo cadunt, hoc est, præcipui in Ecclesia doctores eruditionis, sapientiæ & pietatis gloriâ clarissimi, relicta doctrinâ, quam Christus ex cælo attulit, deficiunt ab Ecclesiæ societate & in horrendos errores ruunt & cadunt. Luth. Sim. Paul. ibid.

11. Etsi † quidem enumeratas hæc interpretationes ex æquo omnes non simpliciter rejiciamus. arbitramur nihilominus, signa extremi iudicii non habitura tam manifestam in natura causam, quam habent vulgares Eclipses, stellæ cadentes, sagittæ volantes, & similia meteora.

12. Placet † itaque sententia Dn. Doct. Hunnii, quæ extat in explicat. cap. 24. Matth. ubi in hæc verba loquitur: Fieri potest ut proxime

simè ante diem iudicii Sol & Luna extranaturales illos defectus lu-
minis, quos Eclipticos vocant, alià quadam ratione supernaturali ob-
scurerentur, ut luce multo debiliore fulgeant, & promptum sit hinc sta-
tuere, finem & consummationem interitumque mundi præforibus esse.
De stellis cadentibus quod asseritur, intelligi id quoque potest, de in-
clinata virtute stellarum & imminuto earum debilitatoque lumine.
Quo etiam spectat id, quod virtutes cœlorum motum iri pronunciat.
Et mox: Signum quoque filii hominis, ait, appariturum esse. De hoc
quicquid nonnulli sentiant, stellam, quæ anno 72. & 73. in sydere Cas-
siopie apparuit, copiaque luminis omnes firmamenti stellas superavit,
tantum extitisse miraculum, quantum vix à mundi exordio in æthereâ
regione conspectum est. Porro si scrutemur, quod fuerit signum filii ho-
minis in primo adventu ejus, cum filius Dei fieret filius hominis, certè
stellam fuisse, fatendum omnibus est, quæ in æthereâ regione fulgens
humana ipsius nativitate nuntia fuit. Cum ergo hoc signum fuerit filii
hominis in primo adventu, à verò neutiquam alienum est, asserere
debere ejusdem filii hominis signum ante secundum adventum itid m
esse stellam miraculosam. Et congruit pulcherrimè, quod hic dicitur:
signum filii hominis appariturum esse in cœlo. Et certum est, post reve-
latum superioribus annis Evangelium non superesse quicquam imple-
dum, quod tantum miraculum requirere videatur, præterquam ex-
tremi mundi iudicium. Quamquam autem interea aliquot anni ef-
fluxerunt, nihil hoc tamen veritati nostræ explanationis derogat. So-
let enim Dominus ante insignes rerum humanarum commutationes
signa sua multò ante præmittere, & sunt alioquin mille anni coram
Deo ut dies unus.

QVÆSTIO IX.

Quid differant Virtutes Ethicæ & Chri-
stianæ?

I. Differunt & causis efficientibus & modo acquisitionis. Virtu-
tes Ethicæ, ut ceteri habitus naturales acquiruntur crebris actionibus
ab hominibus: Virtutes verò Christianæ à Deo infunduntur: juxta
illud Apostoli Rom. 5. cap. Charitas Dei diffusa est in cordibus no-
stris. Quando enim Spiritus sanctus in cordibus hominum est efficax
per

per verbum, tum in illis operatur agnitionem veri Dei, veramque fidem, & per hanc novam obedientiam, quæ in bonis operibus consistit. Hac enim fides tanquam effectus causam in actu positam, immediate sequuntur.

2. *11. Differunt † subjectis.* Christianæ virtutes tantum piis & regeneratis insunt: Ethicæ verò esse possunt in omnibus hominibus sive sint Christiani, sive Ethnici sive regenerati, sive non.

3. *Hinc † non tantum Iobus maximâ fiducia præditus celebratur Job. 13. Sed Ovidius, quamvis in summis animi periculis & angustiis fuerit constitutus, tamen vitæ suæ statum aliquando feliciorē fore, sibi omnino persuasit, lib. 2. de Ponto. Et Tibullus ait:*

Jam mala finissem letho, sed credula vitam
Spes fovet, & melius cras fore, semper ait.

4. *Describitur † castitas Iosephi Genes. 39. Et Sara filia Raguelis in oratione sua ad Dominum habita suam castitatem ingenue confitetur, Tob. 3. Similia exempla habemus in Ethnicis scriptoribus. Penelope adeo incorrupta castitatis fuisse dicitur, ut absente per viginti annos marito Viysse, nullis procorum blanditiis, nullis pollicitationibus ad violandam fidem, quam promiserat, induci potuerit. Quæ circa, ut Ovidius habet:*

Penelope mansit, quamvis custode careret,
Inter tot multos intemerata procos.

Et Propertius:

Penelope poterat his denos casta per annos
Vivere, tam multis scæmina digna viris.

5. *Fortitudinis † vera exemplum habemus in Abrahamo, dum cum trecentis viris Regem Sodomæ & Gomorra, & Zeboim, item Bela & Zoar percussit, Genes. 14. Item in Davide, dum Amalekitas à crepusculo ad vesperam, usque posterioris diei percussit. 2. Samuel. 30. Eoem plane modo memorabile fortitudinis exemplum sub ficta Turni personâ ostendit Virgilius, 12. Æneid.*

Turnus ut in fractos adverso Marte Latinos
Defecisse videt, sua nunc promissa reposci,
Se signari oculis: ultrò implacabilis ardet,
Attollitque animos; Pœnorum qualis in arvis,
Saucius ille gravi venantum vulnere pectus
Tum demum movet arma leo: gaudetque comanteis

Excus-

Excitans cervice toros, fixumque latronis
Impavidus frangit telum, & fremit ore cruento:
Haud secus accenso gliscit violentia Turno.

Temperans † fuit Daniel, Dan. 1. item Heliseus 2. Reg. 4. 6.
Iohannes Baptista locustis & agresti melle in solitudine sustentaba-
tur. Matth. 3. Luc. 3. Sed quid de Epaminonda dicemus? Hic adeo
temperans fuisse scribitur, ut aliquando vocatus à vicino ad cenam,
cum reperisset bellariorum, obsoniorum & unguentorum apparatus,
confestim abiit, ajens: Ego te sacrificare putabam. Sic Romulus
vini parcissimus fuisse legitur. Socrates hoc temperantia assecutus est,
ut nunquam nec ipse, nec ejus familia aliquo gravi & periculoso mor-
bo attingeretur. De Seneca scribit Tacitus, quod ob nimiam tempe-
rantiam corpore ad eum modum fuerit extenuato, ut aperta Neronis
jussu vena sanguinem pene nullum stillarint.

Tobias † gratus fuit erga Raphaelem. Tobia 12. Et Rex At- 7.
talus gratus fuit erga populum Romanum, quando eandem Asiam Ros-
manis, à quibus acceperat, legavit. Valerius Max.

Hospitalis † fuit Lothus, duos Angelos ad se divertere cogens. 8.
Gen. 19. Hospitalis etiam fuit Dido. 1. Aeneid. dum

_____ simul Aeneam in regia ducit
Tecta: simul Divum templis inducit honorem
Nec minus interea sociis ad littora mittit
Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga suum, pingueis centum cum matribus agnos
Munera, læritiamque Dei.

Sic in reliquis virtutibus.

III. Differunt † sine. Ethice virtutes habent finem externum, &
nempe honestatem & beatitudinem politicam: unde etiam in externa
duntaxat disciplina consistunt: Christianæ habent finem internum
nempe gloriam Dei, & internam cordis erga Deum obedientiam requi-
runt: quæ præstatur secundum singulare legis divine præscriptum, &
verum Dei cultum complectitur, de quo illi, qui extra Ecclesiam sunt,
nihil sciunt, nihil intelligunt.

QVÆSTIO X.

Quomodo Sol & aliæ stellæ calefaciant?

C 2

E: 6


Etsi Sol & alia stella in se caloris sunt expertes: efficiunt tamen eum suo motu & lumine. Motu enim res incalescere experientia testis est, Nam sagittarum per aerem missarum mucrones plumbei liquefcunt. Aristot. lib. 2. de coel. cap. 7. Ex lumine quoq; in se unito si ve radiis repercussis generari calorem, testimonio sunt 1. altissimorum montium vertices & cacumina perpetuis frigoribus & nive horrida: quod nullam aliam ob causam contingere potest, quam quod radiorum à terra repercussorum efficacia eo non pertingit.

2. Experiemur illud in speculis artificiosis & concavis. In quibus ob summam levitatem & tersorem, simulq; aequalem partium obfistentiam ita valide lumen unitur, & ex unione intenditur, ut etiam corpora è longinquo posita & speculis obiecta, incendantur. Sic Archimedes in ejusmodi speculis, Solis lumen usque adeo collegit, ut hostium triremes in portu Syracusano, è regione pistras, incendit, Galen. lib. 3. de Temperamentis cap. 2. Refert quoque Zonaras in vita Anastasi, Proclum Mathematicum suspensis è muro Constantinopolitano speculis aeneis ignem instar fulminis in hostium classem ejaculasse.

Testantur item vites ad parietes consitæ: quarum uvæ longacitius maturescunt iis, quæ in locis liberis & patulis nascuntur. Nulla enim alia hic potest dari causa, quam quod Solis radii ad parietem validius repercussi & uniti fortiorem edunt calorem.

Finis disputationis nonæ.









DISPUTATIO IX.
Centuriae tertiae
QVÆSTIONVM.
ILLVSTRIVM
PHILOSOPHI-
CARVM
In Inclytâ VVittebergensi Academia
Proposita:
PRAESIDE
M. IACOBO MARTINI
LOGICES PROFESS.
Publ.
RESPONDENTE
PETRO POPPIO ESENA-
Frisio Orientali.
Ad 14. Novembr. hor. à 7. matutinis in Auditorio Col-
legii veteris.
VVITTEBERGAE
Excudebat Iohann. Schmidt, Sumptibus
Pauli Hellvigi Bibliop. Anno 1607.